

etiam se movet, quia tales actus indigent gratia cooperante, et non solum operante, si quidem fiunt non sine nobis consentientibus, et deliberate volentibus; gratia autem operans fit sine nobis ad minus consentientibus, et deliberate volentibus, licet non sine nobis elicientibus. Colligitur secundo, non posse consistere istam gratiam operantem in sola subordinatione extrinseca ad Deum, quia quando homo de novo operatur, tunc etiam datur illi auxilium, et gratia de novo quæ antea non dabatur, alioquin etiam antea operaretur; ergo si gratia operans consistit in illa subordinatione extrinseca, oportet quod consistat in aliqua subordinatione, qua Deus de novo unitur, et applicatur potentia operativæ, sed illa nova unio, et applicatio Dei non fit per mutationem, et aliquid de novo se tenens ex parte Dei; ergo per mutationem ipsius creaturæ; ergo requiritur quod detur de novo aliquid immutans creaturam ut dicatur Deus de novo illi uniri, et applicari in ratione operantis, et auxiliantis: sed non est unio substantialis, ut in incarnatione, nec intelligibilis per modum speciei, sicut in beatis; ergo Deus non se ipso immediate unitur; ergo mediante aliquo accidentali, id est, aliquo accidenti immutante creaturam, atque adeo aliqua qualitate vel motione, seu realitate aliqua, et hoc est quod nos dicimus, quod si nulla realitas, vel motio intelligitur ex parte creaturæ de novo, quomodo potest intelligi Deum de novo uniri, et applicari illi, cum antea non applicaretur actu, si non datur aliquod novum fundamentum illius auxilii, et subordinationis, et applicationis, nec ex parte Dei, nec ex parte creaturæ, nisi forte sit aliquid imaginarium, et sine fundamento.

XII. Denique Vazquez sentit con-

sistere gratiam operantem in sancta cogitatione ut inductiva est motus voluntatis. Quod omnino rejiciendum est, nam secundum Augustinum non potest poni gratia Dei operans in sola doctrina, vel illustratione interna ex parte intellectus se tenente, sed etiam in aliqua motione voluntatis per subministrationem virtutis, et Spiritus, præter motionem quæ fit ex parte objecti propositi. Et hinc fit argumentum in hunc modum: Gratia Dei secundum Vazquez consistit in sola illa sancta cogitatione, qua illuminatur intellectus, et suscitatur voluntas; sed hoc totum fatebatur Pelagius, et non sufficere docet S. Augustinus: ergo in sola sancta cognitione etiam interna consistit gratia operans. Consequentia est clara, et major est ipsa sententia Vazquez, minor vero probatur quantum ad duas partes; prima, quod Pelagius ponebat illustrationem gratiæ ex parte intellectus moventem voluntatem: secunda, quod ponebat hanc illustrationem internam, et non solum externam. Utrumque probatur ex Augustino libro de gratia Christi, cap. x, tom. vii, ubi introducit Pelagius sic explicans gratiam operantem: « Operatur, inquit, Deus in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, et mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, et præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in Dei desiderium stupentem suscitatur voluntatem, dum nobis quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est: » cui Augustinus subjungit: « Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem, et doctrinam, etc. »

XIII. Ubi ponderandum est Pela-

gium non solum loqui de revelatione fidei ad credendum, sed etiam ad operandum, in illis verbis operatur in nobis velle quod sanctum est, quod utique pertinet ad operandum, et non solum ad credendum. Item loquitur de illa revelatione qua excitatur voluntas ab intellectu, dicit enim quod Deus per illam stupentem suscitatur voluntatem. Item non loquitur solum de propositione fidei externa, sed etiam de revelatione sapientiæ, quæ utique fit per internam illustrationem. Imo Augustinus paulo infra ibidem ex revelationibus Apostoli Pauli, quæ utique internæ erant, arguit contra Pelagium, quod si illæ revelationes sine gratia Dei non sufficiebant ad extinguendum stimulum carnis, multo minus ista quam ponit Pelagius. Ac denique ut certissime constet admisisse Pelagium internam revelationem per illustrationem, et cognitionem intellectus, non tamen inspirationem internam ex parte voluntatis, quæ per subministrationem Spiritus nobis datur, in quo maxime illi adversatur Augustinus, legatur in eodem libro capite xxiv, ubi contra Pelagium concludens sic ait: « Legant, et intelligant, intueantur, et fateantur non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili, et ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras illuminationes, sed etiam bonas voluntates. » Ubi clarissime Augustinus doctrinam extrinsecus propositam ab illuminatione interna, et occulta distinguit, et dicit istam non sufficere, nisi etiam Deus operetur bonam voluntatem; ergo secundum Augustinum non potest in sola illuminatione interna, quæ per cogitationem fit, ista gratia constitui. Videndus est etiam Augustinus capite xxvi, ubi cogitationem quæ est donum Dei, et quam fatebatur Pela-

gius, dicit non sufficere nisi etiam detur donum ex parte voluntatis; ergo gratia Dei operans non potest reduci ad solam motionem cogitationis, et ex parte intellectus se tenentem.

XIV. Circa secundum punctum, quod supra proposuimus tractandum, scilicet quid sit operari Deum in nobis sine nobis, respondetur ex dictis, quod in opinione illorum, qui dicunt gratiam operantem consistere formaliter in ipsis subitis motibus voluntatis, non est aliud, quam operari in nobis sine nobis, deliberate consentientibus, quod proprie est operari modo humano, non tamen sine nobis elicientibus, quia actus illi primi vitales sunt, et sic a potentia vitali procedunt, non tamen proprie videtur salvare hæc opinio quod gratia operans sit illa quæ operatur in nobis, id est, manet ad operandum, sed potius quod est aliquid operatum, et elicited a nobis, scilicet actus ille elicited in quo formaliter constituit gratiam operantem: salvat tamen hæc opinio quod gratia operans sine nobis operetur, id est, sine nobis deliberate consentientibus.

XV. At vero in nostra sententia utrumque optime salvatur, et formaliter, scilicet quod gratia operans sit in nobis sine nobis, quia est motio aliqua, vel qualitas impressa a Deo immediate ab ipso descendens ut operemur illos actus subitos, sive primos, et sic habet pro effectu aliquem actum primum, qui elicited ab illa, et a nobis nondum deliberante operantibus, et hoc totum denominat gratiam operantem ut distinguitur a cooperante. Neque obstat, quod etiam gratia cooperans (ut dicemus articulo sequenti) consistit in aliqua qualitate, seu motione a solo Deo impressa, et sic fit sine nobis. Respondetur enim differentiam gratiæ operantis a coo-

perante non esse in eo quod ipsa gratia in se ut entitas quædam est, fiat sine nobis, quia gratia a solo Deo fit, sed quod active se habeat ut principium operandi sine nobis; motio ergo quæ est gratia operans fit passive in se sine nobis, quia imprimitur a solo Deo, et facit active sine nobis, quia operatur sine nobis deliberate consentientibus, et moventibus nos: motio autem cooperans fit in se passive sine nobis, sed non operatur active sine nobis, quia ad id datur ut cooperemur ei.

XVI. Inquires: Quomodo ergo in Angelis salvatur gratia operans, si quidem ipsi in primo instanti libere operati sunt, utpote meritorie; ergo gratia in ipsis semper cooperans est. Unde ulterius destruitur fundamentum D. Thomæ quo asserrit non potuisse Angelos in primo instanti peccare, quia illo primo actu operabantur solum ut moti a Deo, quod est operari solum ex gratia operante, si autem ponimus quod ex gratia cooperante in illo primo actu movebantur; ergo non præcise movebantur a Deo; sed etiam se movebant; ergo ruit fundamentum quo probat D. Thomas non posse peccare Angelum in primo actu, quia solum movetur a Deo in illo.

XVII. Respondetur nos non negare quod gratia operans possit habere pro effectu actum liberum in nobis, dummodo sit primus actus ad quem non movemus nos, sed movemur a Deo, aliud est enim actum esse liberum tantum, aliud liberum et deliberatum; ut sit liber sufficit quod habeat indifferentiam sine actione, ut sit deliberatus debet esse ex alio priori præsupposito, per quem se movet voluntas. Quare si primus actus sit liber, ille erit a gratia operante, quæ solum respicit primum actum in quo voluntas non se movet ex alio priori, sed a Deo tantum movetur, ex hoc modo An-

gelus in primo actu habuit libertatem, quia processit ex perfecto iudicio, et cum indifferentia, sed non per deliberationem propriam, quia non ex alio priori actu se movit, sed in illo primo incepit, licet verum sit, quod propter perfectionem Angeli operantis illo indivisibili actu et attingit finem, et media, sicut sine discursu attingit præmissas, et conclusiones, quod nos non possumus facere nisi duplici actu, atque adeo exigendo gratiam cooperantem ad posteriorem actum, ad quem ex priori movemus nos. Et ideo stat solidum fundamentum D. Thomæ, quod in illo primo actu non potuit esse obliquitas, quia motio non potuit esse defectuosa, utpote a Deo, neque illud primum dictamen, cui subordinatur elicientia illius primi actus. In summa, quicumque primus actus (qui etiam vocatur a D. Thoma interior, id est, prior in movendo) ad quem voluntas non se movet ex alio priori, sed est mota a Deo, etiamsi liber sit, et cum indifferentia, et pleno iudicio, vocatur gratia operans, id est, causatur a gratia operante, quæ formaliter est motio ad talem actum, actus autem qui sequuntur post primum, et ex motione illius, pertinent ad gratiam cooperantem, in nobis autem quia subiti motus, et primi non procedunt cum plena advertentia, et consequenter neque cum plena libertate, ideo gratia operans ordinarie ponitur in nobis in actibus non liberis.

XVIII. Circa tertium, scilicet an distinguatur gratia operans a gratia excitante, respondetur quod gratia excitans, vocans, pulsans, operans, eadem gratia est substantialiter, quando pertinet ad eandem potentiam, et solum differunt penes diversos respectus, vel connotationes, et loquimur de gratia interiori, quæ imprimitur in ipsis potentiis, sed

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

cum hac proportionem, quod cum alia sit gratia, quæ imprimitur in voluntate, alia quæ in intellectu, illa quæ est operans in intellectu, non distinguitur ab ea quæ est excitans, et vocans, et pulsans in eodem intellectu, et illa quæ est operans in voluntate non distinguitur ab ea, quæ est pulsans, et excitans in eadem voluntate. Ratio hujus asserti, quod est commune inter auctores, est quia omnes istos effectus operatur Deus in nobis sine nobis, modo explicato, antecedunt enim liberam, et deliberatam cooperationem, ergo pertinent ad gratiam operantem. Antecedens constat, quia ad hoc vocatur, et excitatur, et pulsatur homo, ut libere respondeat, et consentiat; si enim jam consentiret libere, non indigeret vocari, et excitari, quia jam haberet effectum ad quem excitatur, et vocatur; ergo antecedit liberam cooperationem Dei. Differunt ergo istæ formalitates secundum diversas connotationes, aut denominationes, vel respectus, quia gratia denominatur operans per ordinem ad primum agens, seu movens, quia est a solo Deo, et non ab homine ut se movente. Excitans autem et vocans, et pulsans dicuntur correlative respectu effectus, seu finis ad quem excitatur, et vocatur homo, et respectu termini a quo, sicut enim quando aliquem excitamus a somno, illa actio dicitur excitatio, quatenus facit relinquere somnum, et transire ad vigiliam, ita quando aliquis primo excitatur a somno culpæ, vel insensibilitatis, dicitur excitatio comparative ad terminum qui relinquitur, vel incipit relinqui, et ad terminum ad quem transit, scilicet ad attendendum, et vigilandum circa salutem, et quia communiter excitatur aliquis a somno, vocatione, et pulsatione aliqua, etiam illa excitatio dici solet pulsatio, et vocatio.

XIX. Contra istam resolutionem, præsertim de gratia operante, objicies: Nam D. Thomas in præsentibus articulo secundo expresse ponit gratiam operantem consistere in motu interiori voluntatis, et solutione ad primum inquit: « Quod gratia ut est quædam qualitas accidentaliter non agit in animam effective, sed formaliter, » at vero gratia operans agit in animam effective, si quidem aliquid operatur in nobis sine nobis; ergo non est aliqua qualitas impressa a Deo. Denique quæst. cx. artic. ii. dicit: « Quod gratuitus effectus quo movetur anima a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum non est qualitas, sed motus quidam animæ. » Cujus rationem reddit: « quia actus moventis in moto est motus. » Ergo si gratia operans movet nos ad agendum tamquam aliquid impressum a Deo, necessario est motus aliquis in nobis, et non qualitas, si quidem est actus moventis in moto, idem autem in intellectu est, et voluntate motus et actus, quia ille motus est aliquid vitale in actu secundo; ergo in isto actu, seu motu consistit auxilium.

XX. Respondetur D. Thomam in hoc articulo secundo non dicere, quod gratia operans consistit in ipso motu interiori, sed quod secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum interiorum, dicitur gratia operans; ergo potius secundum D. Thomam gratia operans non est ipse actus interior formaliter, sed motio ad hunc actum, et consequenter aliquid antecedens actum. In solutione autem ad primum ejusdem articuli solum dicit D. Thomas, quod gratia ut est accidens comparatur ad subjectum formaliter, non effective; non autem